## Psalmus responsorius

Ps 111, 4-5. 6-7. 8a & 9 (℟.: 4a)

℟. Exórtum est in ténebris lumen rectis.

vel:

Allelúia

4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus.
5 Iucúndus homo, qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício. ℟.

6 Quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit iustus,
7 ab auditióne mala non timébit.
Parátum cor eius, sperans in Dómino. ℟.

8 Confirmátum est cor eius, non timébit,
9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sǽculum sǽculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.